

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 38

Nosse debebitis, si qui eritis posteri nostri Maioris scilicet huius habitatores Monasterii Sancti Martini, Gislulfum atque Hugonem nepotes Ramnulfi, servi quondam et forestarii comitis Fulconis, calumniam intulisse nobis super illa parte terre nostre de Semitario quam tenuit Gausfredus filius Ermenrici quamque illi fevum olim fuisse dicebant iam dicti avunculi sui. Quorum calumniacioni finem imposuimus talem, XX solidos et I modium frumenti unumque caballum dedimus Gislulfo, et ita nobis quicquid sibi iuris in tota illa reclamabat terra guerpivit ex integro. Hoc idem facere Hugo distulit quidem vivente Gidlulfo, sed ipso tandem moriente consensit. Nam corpus eius ad nos sepeliendum deferens, in nostrum tunc capitulum venit et guerpitionem illam sicut Gislulfus iamdudum fecerat, fecit. Pro quo etiam benefacti nostri participationem accepit, et promissum quod eandem acciperet unus suus quem vellet amicus si quando nobis adduceret. Acta sunt hec testibus istis: Lamberto Pictavino de Ferraria – Richardo Taurello – Girardo filio Milescendis – Richardo filio Rainerii – Ingelbaldo Arvernensi; Isti venerunt cum illo. De nostris: Guillelmo Bigoto – Gausfredo campione – Frodone medico – Ingelrico sutore – Rainaldo pistore – Boselino pistore – Rotberto hospitalario – Durando hospitalario – Rotberto cellarario – Sigemaro cellarario – Rodulfo de Balgiaco – Giraldo coco – Ursione coco – Giraldo sartore – Guillelmo asinario – Hilduino filio Durandi forestarii – Durando plano vel tinioso – Walcherio presbytero.